



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sessio XXXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

Axdallia magister pro serenissimo Aragonum rege, sua & vice aliorum eiusdem domini regis coambiatorum ibidem presentium, petierunt a singulis sanctæ sedis apostolicæ protonotariis, & aliis notariis singularum nationum huius sacri Concilii, sibi retineri publica instrumenta ad futuram rei memoriam. Post prædicta dictus reuerendissimus dominus cardinalis vicecancellarius nomine totius Synodi respondit, Placet.

Super quibus omnibus & singulis præmissis magister Henricus de Piro promotor & procurator prædictus, nomine procuratorio quo supra, ac etiam egregius in sacra pagina magister Philippus de Axdallia pro serenissimo domino rege Aragonum, a protonotariis & notariis dicti Synodi sibi fieri petierunt vnum vel plura instrumenta ad perpetuam rei memoriam. Præsentibus reuerendissimis in Christo patribus dominis Ioanne Ostiensi, de Vrfinis, Bononiensi, Venetiæ, Ragusino, Aquileiensi, Senensi, Pisano, Veronensi, Cameracensi, Tricaricensi, Placentino, sancti Marci, de Chalanco, de Fuxi, Salutiarum, de Branckasis, de Flisco, de Columna, de Comitibus & Florentino, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, ac regum, principum, dominorum, prælatorum, communitatum, vniuersitatum, collegiorum & studiorum ambasiatoribus, aliisque Christi fidelibus in multitudine copiosa.

### SESSIO XXXI.

**D**IE Mercurii vltima suprædicti mensis Martii, in ecclesia maiori Constantiensi fuit sessio generalis celebrata; & in eadem sessione fuit dictum officium Missæ de Spiritu sancto per reuerendissimum patrem dominum Martinum episcopum Aprutinem: reuerendissimus vero pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, huiusmodi sessioni præsidebat. Litanis autem & aliis orationibus expletis per dictum dominum præsentem, more solito pontificalibus indutum, legebantur per dominum Antonium episcopum Concordiensem, & Petrum de Polonia, successiue ea quæ sequuntur.

ANNO  
CHRISTI  
1436.*Monitorium contra comitem Virtutum.*

*Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem ecclesiam representans, vniuersis Christi fidelibus salutem & omnipotentis Dei benedictionem.*

\* f. d. no-  
strum

Dudum, cum ad audientiam nostram perueniret, fama publica referente, quod nobilis vir Philippus comes Virtutum, nonnullique alii in hac parte commissarii & officiales sui ipsius de mandato & assensu, ac ratum & gratum habendo, contra venerabilem fratrem \*Albertum episcopum Astensem, patrem & pastorem animarum suarum, cui obedientiam & reuerentiam debitas facere tenebantur, & qui vna nobiscum in hoc sacrosancto Concilio generali onera humiliter supportauit, ac de speciali licentia nostra ad suam se transtulit Astensem ecclesiam, nulla sumpta occasione iusta, temerarie & iniuste in dictum dominum episcopum vi armata, ausu sacrilego manus iniicientes violentas, eundem ignominiose ad castrum, quod Vetus dicitur, dictæ ciuitatis Astensis perduxerunt, ibique carceribus manciparunt & detinuerunt, prout detinent etiam incarceratum de præsentis, sacrilegium & excommunicationem, aliasque censuras ecclesiasticas & pœnas iuris & constitutionis prouinciæ Mediolanensis ecclesiæ, (cuius dicta Astensis ecclesia suffraganea existit) circa hoc editas & prolatas, & in partibus per ordinarios declaratas, damnabiliter incurrendo: Nos de tantis tamque grauibus excessibus (vt supra fertur) nobis relatis, qui inter cetera ad vniuersalis ecclesiæ reformationem sumus hic congregati, ad quos super quibuscumque quæstionibus (si quas intentare volebat contra episcopum præfatum) habere poterat recursum, non immerito dolentes, volentes super his inquirere veritatem, ipso comite (vt dicebatur) procurante per suos nuntios, venerabilibus fratribus Papiensi & Nouariensi episcopis dari concessimus in mandatis, vt super obiectis per ipsum comitem aduersus ipsum episcopum diligenter inquirerent veritatem, & vocatis præfato Philippo comite, & qui forent euocandi, de præmissis omnibus & singulis, ac eorum circuitustantiis vniuersis simpliciter & de plano sine strepitu & figura iu-

dicium se diligentius informarent. Et si dictum episcopum in aliquo culpabilem reperirent, ipsum sub fida custodia retinerent, ac retineri facerent, donec aliud a nobis, seu Romano futuro pontifice haberent in mandatis: nec non informationem huiusmodi in scriptis fideliter redactam, sub eorum clausis sigillis, ad nostram presentiam transmitterent, ut inde super hoc consultius agere valeremus. Si vero per informationem eandem dictum episcopum minime culpabilem reperirent, ipsum facerent plena libertate gaudere. Cuius quidem concessionis mandati tenorem hic haberi volumus pro sufficienter expresso. Verum postmodum nonnullorum fide dignorum relatione percepimus, quod literarum nostrarum super huiusmodi concessionis mandato executarum non fuerunt, dictique episcopi propterea super premissis procedere minime valuerunt. Nos igitur super premissis prius summaria informatione auctoritate nostra facta, attendentes quod subditi in eorum prelatos, & laici in clericos nullam habent iurisdictionem & potestatem, & quod premissa in libertatis ecclesiasticae & pastoralis dignitatis vilipendium non modicum & scandalum plurimorum redundare dignoscuntur, nolentes huiusmodi offensam (sicut nec debemus) sub dissimulatione transire, & licet contra predictos comitem, eiusque commissarios & officiales, in premissis possemus iuris severitatem exercere, tamen ad eos magis conuincendos mitius agere volentes, committimus infra scriptis fratribus nostris, vel eorum alteri, quod si per summariam informationem, quod ad ipsum comitem, eiusque commissarios & officiales tutus non pateat accessus, constiterit, ne propterea tanti tamque graues excessus nostris conuientibus oculis remaneant impuniti, per hoc presens publicum edictum legendum & publicandum, ac in valuis maioris Papiensis & Nouariensis & Astensis ecclesiarum cathedralium affigendum, dictum Philippum comitem, eiusque commissarios, officiales, & quoscumque alios, qui culpabiles fuerint in premissis, in eos & eorum quemlibet sub excommunicationis & interdicti, & in eisdem ecclesiis, ciuitate Astensi, ac ceteris terris & locis dictae ciuitati & eidem comiti subiectis quocumque titulo, poenis quas ferimus in his scriptis, (si monitioni huiusmodi non paruerint

ANNO  
CHRISTI  
1416.

rint cum effectu) primo, secundo, tertio requiratis & monentis, quem & quos tenore presentium requirimus & monemus, quatenus infra duodecim dies post lectionem, publicationem & affixionem presentium, ut supra faciendas, immediate sequentes, quorum duodecim dierum quatuor pro primo, quatuor pro secundo, & reliquos quatuor dies pro tertio & peremptorio termino ac canonica monitione predicta, Philippo comiti, eiusque commissariis & officialibus huiusmodi prefigimus & assignamus, prefatum episcopum absque quolibet contradictionis obstaculo infra tres menses a die relaxationis ipsius coram nobis personaliter accessurum, & ibidem iuri pariturum, libertati suae pristinae restituat, cum familia vniuersisque bonis suis absque diminutione aliqua, realiter & cum effectu, offerentes dicto comiti & cuilibet poscenti bonum & breue iustitiae complementum de persona prefati episcopi ministrare. Quod si forsitan huiusmodi nostris monitioni & requisitioni in dicto termino parere contempserint, ne propter viarum discrimina dicti episcopi Astensis differatur libertas, & ut parcatur laboribus & expensis, prefatis venerabilibus fratribus Papiensi & Nouariensi episcopis, stantibus prope dictam ciuitatem Astensem ad duas diuitas, secundum consuetudinem patriae committimus & mandamus, quatenus simul, aut ipsorum alter qui primo fuerit requisitus, post eiusdem termini lapsum auctoritate nostra eandem ciuitatem Astensem & terras, dominia & loca ad dictam ciuitatem spectantia & pertinentia, interdicti sententias incurrisse, dictumque comitem, eiusque commissarios, officiales, & ipsius personam excommunicationis sententiam eadem auctoritate incidisse declarent: ecclesiam vero, ac etiam ciuitatem & communitatem ac terras, dominia & loca, predictas & predicta, ecclesiastico subiaccere interdicto, iuxta constitutionem Viennensis Concilii, quae incipit, Si quis suadente, vocatis euocandis, in eorumque Papiensi & Nouariensi, & aliis quibuscumque ecclesiis, tam cathedralibus quam collegiatis vniuersis, infra Missarum solennia, aliisque ecclesiis, populo ibidem ad diuina audiendum congregato publice per se vel alios denuntient & euitent, & ab aliis ita denuntari & euitari faciant & permittant tamdiu, donec a nobis, vel futuro Romano pontifice

aliud desuper habuerint in mandatis. Et si (quod absit) prædictas pœnas interdicti & excommunicationis dictus Philippus comes ac commissarii & officiales prædicti animis sustinuerint induratis, ad omnes alias pœnas spirituales & temporales auctoritate præsentium procedere valeant, quibuscumque aliis pœnis eis a iure vel ab homine occasione prædicta ibidem illatis & inferendis, in suo robore permanfuris, nec ab aliquo absolutionis beneficium, nisi a futuro Romano pontifice, vel a nobis, præterquam in mortis articulo, valeant obtinere. Volentes nihilo minus, & hac sacra synodali auctoritate decernentes, quod huiusmodi literæ nostræ modo & forma præmissis executæ, dictos sic requisitos & monitos, & quemlibet eorum arceant taliter & adstringant, ac perinde valeant, plenamque obtineant roboris firmitatem, ac si eisdem & eorum cuilibet in propria persona lectæ & insinuatæ fuerint, ac præsentialiter publicatæ, non obstante quod eidem Philippo comiti, vel quibusvis aliis communiter vel diuifim a sede apostolica indultum existat, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, contradictores censura simili, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus etiam constitutionibus, seu aliis editis in contrarium quibuscumque. Datum Constantiæ secundo Kalendas Aprilis, anno a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimosextimo, indictione decima, apostolica sede vacante.

*Decretum super redintegratione ecclesiæ Baionensis.*

Sacrofancta generalis Constantiensis Synodus, &c. Attendens ad reformationem & redintegrationem vniuersalis, ac etiam omnium cathedralium ecclesiarum, quæ schismate præsentis durante habebant vel habent episcopos diuersarum obedientiarum, per quos ipsæ cathedrales ecclesiæ monstruose in capite & in membris videbantur & videntur gubernari, statuit & ordinat, quod ecclesia Baionensis, quæ etiam duos simul per plures annos habuit episcopos, & inter alios bonæ memoriæ Petrum, qui fuit de obedientia Baltassaris, tunc Ioannis papæ vigesimitertii

ANNO  
CHRISTI  
1416.

in sua obedientia nuncupati, nouiter defunctum, & superstitem venerabilem fratrem Guillelmum hic presentem, qui fuit creatus per Petrum de Luna, Benedictum decimumtertium in eius obedientia nuncupatum, deinceps per Guillelmum episcopum regatur, ac verus episcopus ipsius ecclesie, nec non episcopatus Baionensis vnicus censeatur, & illi clerus & populus ciuitatis & diocesis Baionensis in omnibus consuetis, licitis & honestis, vt eorum vero episcopo & pastori obediant, & ipse eos benigne vice versa pertractet, prout ad eius pontificale officium pertinet de consuetudine, vel de iure. Inhibentes nihilo minus venerabili capitulo ipsius ecclesie, ne ad electionem alicuius loco ipsius defuncti episcopi vllatenus procedant, sed in illa supersedeant, prout etiam iuxta quaedam capitula dudum per oratores nostros ex vna, & quosdam alios tunc de predicta obedientia prefati Petri existentis in regno Aragonie fuit definitum & conclusum, quae quidem capitula per nos solenniter approbata fuerunt. Quodque etiam venerabilis frater archiepiscopus Auxitanensis, cui predicta ecclesia metropolitano iure subest, ad confirmationem alicuius electionis forsitan factae, vel fiendae, ad prouisionem alicuius in episcopum ecclesie predictae non procedat. Et quia etiam predictus Petrus, seu Clemens septimus etiam in eadem obedientia nominatus, eius praedecessor, quatuor aliis de quatuor canonicatibus & praebendis eiusdem ecclesie, licet in dicta ecclesia pro parte obedientiae dicti Baltassaris numerus canonicorum ab antiquo institutus completus fuisset, prout de presenti, prouidit, quibus quidem domino Guillelmo episcopo &

\*f. quog; canonicis quatuor assignauit, \* quod bona immobilia, nec non iura, fructus, redditus, proventus & emolumenta ad capitularem mensam dictae ecclesie pertinentia, in Castella & Nauarra regnis existentia, & illa etiam ad ius & proprietatem ipsius mensae reducimus, ita quod ipsi quatuor canonici deinceps possint apud eandem ecclesiam personaliter residere, ac horis consuetis & diuinis officiis interesse, ac stallum in choro & locum in capitulo cum ipsis aliis canonicis dictis habere, ac in omnibus fructibus, redditibus, &c. praedictae mensae, vt veri canonici ipsius ecclesie participare, dicto canonicorum numero non obstante,

*Concil. Tom. 29.*

Z z z ij

quodque nullus in locum alicuius decedentis, aut aliter canonicatus & præbendas suas ipsius ecclesiæ quomolibet, præterquam per spontaneum cessum dimittentium ipsius ecclesiæ canonici apostolica vel ordinaria auctoritate admittantur, quousque ad dictum numerum sit deventum: ac decreuit dicta sancta Synodus irritum & inane, si secus super his factum fuerit, aut fieret in futurum.

ANNO  
CHRISTI  
1416.

SESSIO XXXII.

**A**NNO & indictione quibus supra, die vero Iouis prima mensis Aprilis, Constantiæ in ecclesia maiori in loco sessionis solito prælati existentibus in pluuiialibus & cum mitris, fuit generalis huius sanctæ Synodi Constantiensis sessio celebrata: pro cuius introitu reuerendissimus pater dominus Ioannes patriarcha Antiochenus Missam de beata Virgine celebravit. Reuerendissimus vero pater dominus episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius, indutus pontificalibus, huiusmodi sessioni præfedit. Ac demum litanis & orationibus consuetis cum debita solennitate completis, instantibus promotoribus Concilii, fuit accusata cõtumacia Petri de Luna per dominum Ardecinum aduocatum. Et iuxta petitionem ipsius dictus dominus Ioannes episcopus Ostiensis huiusmodi sessioni præfedit, nomine Concilii deputavit reuerendissimos patres dominos Odonem de Columna, & Lucidum de Comitibus, diaconos cardinales tunc in ordine cardinalium postremos, reuerendosque patres Feltrensem & Mersburgensem episcopos, quibus dedit in mandatis, vt ipsi vna cum protonotariis & notariis atque scribis huius causæ, cum cursore sedis apostolicæ, dictum Petrum de Luna ad valuas ecclesiæ iuxta mores antiquos vocarent, & ipsi Synodo vocationem referrent. Qui quidem domini deputati, vna cum Iacobo Rhodini & Thoma Poltensi protonotariis apostolicæ sedis & huiusmodi causæ notariis, ac Francisco de Mediolano apostolicæ sedis cursore, locum sessionis exeuntes, accesserunt ad valuas eiusdem ecclesiæ. Et præfatus Franciscus cursor ipsum Petrum de Luna alta voce vocavit sub his verbis: Estne hic dominus Petrus de Luna, Benedictus decimustertius in sua obedientia nuncupatus, vel aliquis